



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. VII. An Deus sit inuisibilis in se respectu omnis intellectus creati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

CAPVT VII.

An Deus sit inuisibilis in se, & in substantia sua respectu omnis intellectus creati.

EX Diuinis testimonijs supra citatis intulerunt quidam haeretici, à nulla creatura, quantumcūque perfecta per gratiam, vel eleuata per gloriam posse videri Deum, prout in se est, quia alias non esset Deus simpliciter inuisibilis ab alio, ita enim hoc attributum intelligebant, nam constat Deum videre se ipsum, sicut supra de incomprehensibilitate dicebamus. Vnde consequenter aiebant, Beatos tam homines, quam Angelos solum videre quandam eminentem lucem ex diuina substantia resultantem, & ideo dici videre Deum, non in se, sed eo modo, quo sol in splendore videtur. Hunc errorem sine nomine Auctoris refert Gregorius lib. 18. Moral. cap. 38. Ita vero sensisse Armenos refert Armacanus libro decimo quarto, de quaestionibus Armenorum capite 1. & Guido Carmelita, Prateolus, & alij. Tribuitur etiam Petro Abailardo, & socio eius Arnaldo à Castro verb. Beasitudo, haeref. 1. & Prateolo in suo Elencho sub nominibus horum haeticorum. Quamuis Bernardus cuius tempore illi orti sunt, impugnans eorum errores ab Epistol. 187. vsque ad 198. nullam mentionem huius erroris fecerit, ait tamen multos alios habuisse praeter eos, quos ipse refert. Denique in hoc errore fuit Almericus, vt refert Prateolus & Turrecremata libro quarto, de Eccles. capit. 35. Fundamenta huius erroris, praeterim quae sumuntur ex dictis sanctorum, habent non nihil difficultatis, afferremusque illa commodius post confirmatam veritatem.

Dicendum ergo est primo, obiectum proximum, & immediatum visionis beatae esse Deum ipsum per essentiam, & substantiam suam absque vlla creatura seu imagine creata, quae deferuiat tanquam medium cognitum, seu obiectum proximum, in quo reluceat Deus. Conclusio est de fide, & probatur primo ex Scriptura sacra, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Matth. 5. haec ergo visio promittitur nobis tanquam verum, & principale praemium, vt saepe Augustinus Epistol. 112. capite quarto, & sequentibus, & 22. de Ciuitat. capit. 23. Ex sumitur ex eodem libro 1. de Trinitate cap. 8. & sequentibus. & Concioni. 2. in Plalm. 21. praeterea Ioann. 14. ait Christus: Qui diligit me, diligitur à Patre meo; & ego manifestabo ei me ipsum. Quod ita exposuit Augustinus tractat. 73. in Ioann. & Greg. 18. Moral. capite 37. Qualis autem futura sit illa visio, declarat Matth. 18. vbi de Angelis dicitur. Semper vident faciem Patris: additurque capite 22. homines Beatos futuros esse aequales Angelis, vt recte Augustinus Epistola 3. & ideo Paulus 1. ad Corinth. 22. ait: Tunc autem facie ad faciem, Et Apoc. 22. Videbitis faciem eius.

Haec autem, & similia testimonia videntur reddi incerta ex quadam ambiguitate, seu aequiuocatione Scripturarum, in quibus saepe dicitur videri Deus, & interdum etiam facie ad faciem, licet non in se, sed in aliqua imagine, vel corpore assumpto videatur. Sic enim Iacob dixit, se Deum vidisse facie ad faciem, cum tamen non solum substantiam Dei non vidisset, verum nec substantiam Angeli in se, sed in corpore assumpto. Ergo praedicta testimonia non possunt facere certam fidem, quod Deus immediate in sua substantia videndus sit.

Respondeo, non esse similem rationem, & merito Ecclesiam semper intellexisse priora testimonia in dicto sensu. Primo, quia verba scripturae in proprietate hoc significant, & si alicubi aliter intelliguntur, est per metaphoram, quae metaphora in alijs

no vero, & naturali quo ad substantiam eius, quantumuis per gloriam, vel supernaturalia dona perfecto. Fingere autem nunc quaestionem de nouo ordine sensuum possibilitatum inuitile est, & praeter humanam cognitionem. Existimo autem chimericum esse cogitare potentiam sensitiuam, & corpoream, & de se vniuersalem, & capace obiectorum spiritualium, vt talia sunt, id est, prout in se sunt. Quia hoc est confundere intellectum cum sensu, imo est pracludere omnem viam ad distinguendum intellectum à sensu, & probandum intellectum in se esse spiritualem facultatem. Nam si excogitari potest virtus cognoscitiua habens pro obiecto res spirituales, seu aliquid vniuersale comprehendens illas, quomodo conuinci poterit, qui dixerit talem potentiam esse intellectum nostrum? Rationes ergo factae probant, materialem, & corpoream facultatem natura sua esse limitatam ad corporale obiectum, ac proinde extra illud eleuari non posse ad rem spiritualemente intuetam, prout in se est, & maxime ad Deum, qui purissimus spiritus est.

Quoties ergo scriptura significat Deum esse visum ab hominibus oculis corporeis, non loquitur de visione diuinae substantiae in se ipsa, sed in aliquo corpore representante ipsam, vt docent Patres supra citati praeterim Epiph. Aug. & Ambr. Item Gregorius 18. Moral. capit. 36. & Hierony. Epist. 142. ad Damasum, & in cap. 64. illa, & bene Aug. 10. de Ciuit. cap. 13. Interdum vero est sermo de visione imaginaria, vel intellectuali proportionata iuxta loci exigentiam. In priori ergo loco Iob supra citato, sermo est de visione Dei intellectuali, quam homines habebunt post resurrectionem in corporibus suis, vt D. Thom. in dicto ar. 3. ad 1. exponit. Vnde (vt etiam Aug. notat) non dicit Iob, Videbo Deum per carnem meam, sed, in carne mea. Potest autem instari, quia statim addit Iob. Quae oculi mei conspexerunt. Dicendum vero est hoc etiam referri ad oculos mentis, licet probabile sit, ibi etiam significare voluisse spem, & fidem, quam habebat in Christum, cuius conspectum etiam corporeum secundum humanitatem sperabat. Alium vero locum exponit Diuus Thomas de oculo cordis, non autem exponit, quomodo Iob de presenti dicat, Oculi mei vident te, & distinguit visionem illam à cognitione per auditum. Existimo tamen illam visionem significare quandam cognitionem aliquo modo euentem per sapientiam infusam, distinguere ab alia cognitione, quae est per meram fidem. Nam quae credimus simpliciter, per merum auditum recipimus, postquam autem spiritualia degustare, & experimento cognoscere incipimus, tunc quodammodo per eadem videmus. Ita fere Gregorius lib. 35. Moral. cap. 2.

Ad rationes autem, quae in contrarium fiebant, respondetur, contradictionem esse, quod potentia vitalis extra obiectum adaequatam feratur, & quod forma informet potentiam, ad quam non habet habitudinem, nec proportionem. Ad argumentum vero proportionale respondetur, non esse eandem rationem, quia licet in perfectione entis plus distet intellectus hominis à Deo, quam visus corporalis ab Angelo, quia illa distantia est infinita, haec finita: nihilominus in proportione obiecti, & potentiae plus distat Angelus à visu, quam Deum ab intellectu, quia Angelus extra totam latitudinem obiecti visus constituitur: Deus autem non est extra obiectum adaequatam intellectus, vt in sequentibus capitibus magis explicabitur.



Handwritten notes on the right margin, including 'D.V.' and other illegible characters.

alijs locis est necessaria, quia non possunt aliter sine inconuenienti intelligi. In prioribus vero testimonijs sine vilo incommodo retineri potest proprietates verborum. Secundo hoc constat ex alijs locis Scripturæ sacræ, nam i. Ioannis 3. explicatur illa visio, quod sit futura de Deo, vt in se est, *Similes*, inquit, *ei erimus, & videbimus eum, sicuti est*, quod non videtur clarius dici potuisse. Et ita illo testimonio ad hoc probandum vtitur Euarist. Papa Epistol. 1. & Concilium Francofor. in Epistola ad Episcopos Hispanos. In posterioribus autem testimonijs non ita est, quin potius illis non obstantibus simpliciter dicitur Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam*, & Moyfi dictum est Exodi trigesimo tertio, *Non videbit me homo, & viuuet*.

1. Ioann. 3.

Exod. 33.

5. 1. Cor. 13.

Ioann. 1.

Rom. 8. Hebr. 12.

Matth. 14.

6. Bened. P. pall.

Præterea ex circumstantijs locorum id colligi potest. Nam Paulus 1. ad Corinth. 13. opponit hanc visionem visioni *enigmatice*, & *per speculum*, & *cognitio ni ex parte*, omnis autem visio Dei per creaturam est *enigmatica*, & ex parte, ergo cum dicit *facie ad faciem*, intelligit proprie de visione ipsius naturæ diuine in se, quod clarius explicuit dicens: *tunc cognoscam sicut & cognitus sum*. Præterea cum Angelis tribuitur videre faciem: non potest intelligi de visione sensibili, nec de imaginaria, sed de intellectuali, & propria. Præterea cum dicitur Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam*, sermo est sine dubio de visione propria, quia impropria multis communicata fuerat, ergo cum subditur, *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse narrauit, sensus est*, Christum hominem vidisse Deum in illa visione, quam nullus alius viderat, & ideo tanquam oculatum testem potuisse narrare, quæ erant in sinu Dei: ergo anima Christi fuit capax illius visionis, ergo & ceteri beati, nam, *Vbi ipse est, illis & ceteri ministri eius erunt*, tanquam *heredes Dei, coheredes autem Christi*: ad Romanos 8. Addi etiam potest illud ad Hebræos 12. *Pacem sectamini cum omnibus, & sanctificationem, sine qua nemo videbit Deum*. Quod necesse est, intelligi de visione propria secundum diuinitatem, & non de *enigmatica* cognitione, nec de sola visione Christi secundum humanitatem (quod pro alijs etiam testimonijs notandum est) quia visio humanitatis, & *enigmatica* cognitio sine sanctificatione haberi potest. Imo etiam reprobi in die Iudicij Christi humanitatem videbunt, vt colligitur ex Matth. 24. De quo videri potest late Augustinus 1. de Trinitate capit. vltim. & Fulgentius ad Ferrandum, respons. 3.

Secundo definita est hæc veritas à Benedicto II. in Extrauagant. *Benedictus*, quam refert Castro supra eiusque meminerunt Maior 4. quaest. vltim. supplem. Gabr. distinction. 49. quaest. 2. artic. 3. dub. 3. *Videbunt* (inquit) *diuinam essentiam immediate, se bene clarè, & aperit illis ostendentem*, & infra vocat hanc visionem *facialem*, & *intuitiuam*, & in Concil. Florent. in lit. visionis dicitur, *Beatas animas clare intueri Deum trinum, & vnum, sicuti est*. Ex quibus verbis potest etiam ratio confici, quia Trinitas personarum non potest clare atque in se euidenter videri per aliquem effectum, nec per aliquam similitudinem creatam obiectiuam, vt infra tractatu 3. de Trinitate lib. 1. in fine dicemus. Sed beata visio attingit Trinitatem clarè, & euidenter, prout in se est, ergo necesse est, vt immediatè terminetur ad ipsam diuinitatem. & per sonas in ea subsistentes, absque vilo medio. Vnde rector Nazianz. orat. 20. de Basilio inquit, *Contemplari beatam Trinitatem eo, quo est modo*, & optime Epiphanius hæref. 70. cuius aliqua verba statim referam. Videri etiam potest Dionysius cap. 4. de Cœlesti Hierarch. Ignat. epist. ad Romanos, Martialis epist. ad Tollofan. cap. 37. Clemens Alexand. lib. 5. Stromatum non longe à principio, sed copiosius Augustin. epist. 6. 30. 112. & 150. & 4. Genes. ad literam à cap. 23. & lib. 12. cap. 24. vbi ait, videri ipsam Dei substantiam, & verbum æternum. Item lib. 22. de Ciuit. cap. 29. & 30

Alia retuli in materia de Incarnatione, disputatione 26. sect. 1.

Possit ne ratione naturali ostendi visionem Dei esse possibilem.

Tertio, vt ratione ostendatur hæc veritas, inquiri potest, an possit ratione naturali ostendi hanc visionem esse possibilem, Scot. in 4. dist. 49. quaest. 8. existimat demonstrari hac ratione. Visio intuitiua est perfectio simpliciter potentia cognoscitiua, sed talis perfectio est possibilis in potentia inferiori, qualis est visus corporalis, ergo etiam est possibilis in potentia superiori, vt est intellectus. Nam perfectio simpliciter possibilis potentia inferiori, multo magis debet esse possibilis potentia superiori, ergo maxime Dei, quia est perfectissimum obiectum intelligibile. Hæc vero ratio, licet supposita non repugnantia, manu ducat intellectum, & sit aliqua sua, absolute tamen non probat. Primo, quia non est necesse, vt omnis perfectio, quæ conuenit inferiori naturæ, conueniat superiori extra Deum: Nam esse incorruptibile est perfectio simpliciter, vel illam indicat, quæ conuenit quibusdam substantijs minus perfectis, quæ sunt alia, quibus illa proprietates non inest. Item claritas est perfectio simpliciter cognitiois, & conuenit naturali scientiæ, non autem fidei, cum tamen fides sit simpliciter perfectior. Potest igitur aliquid in genere entis esse perfectius simpliciter, quod secundum aliquam conditionem sit inferior, & incapax alicuius perfectionis, quæ inuenitur in inferiori vt sic. Ergo ex vi illius rationis non sequitur, si visus corporeus est capax intuitiua visionis, etiam intellectum esse capacem eius. Et ratio vniuersalis reddi potest, quia licet illud prædicatum abstracte sumptum, verbi gratia, esse visionem intuitiuam sit perfectio simpliciter, tamen contractum ad talem visionem, scilicet corporealem habetur imperfectissimo modo: contractum vero ad visionem intellectualem requirit eminentiorem perfectionem: & ideo fieri potest, vt visus corporeus, qui in suo genere est perfectus, sit capax illius perfectionis sic limitatæ, & tamen quod intellectus præsertim humanus, qui est imperfectus in genere intellectuali, non sit capax illius perfectionis eleuatæ ad intellectualem ordinem. Denique cognitio abstractiua intellectus est perfectior simpliciter, quam visio oculi, ergo etiam si intellectus tantum esset capax huiusmodi cognitionis, posset esse perfectior potentia, quam visio.

Secundo præcipue deficit illa ratio in vltima illatione, nam licet concedamus intellectum esse capacem visionis intuitiua, non sequitur esse capacem visionis intuitiua Dei, quia hoc obiectum est eleuatissimum, & potest superare vires intellectus. Præterea ergo illa visio intuitiua esse aut Angeli, aut ipsius animæ, si à corpore non impediatur. Et confirmatur, quia eadem ratione posset concludi intellectum nostrum per vires suas naturales esse capacem visionis intuitiua Dei, quia potentia inferior per vires naturales est capax visionis intuitiua, ergo & superior. Constat autem, Angelum naturaliter posse intueri suam substantiam, non vero diuinam. Imo & visus corporeus, quamuis naturaliter possit intueri aliqua obiecta visibilia, fortasse aliquod est ita excellens, vt naturaliter non possit illud intueri.

Alia ratione vtitur D. Thomas 1. p. quaest. 12. art. 1. & 1. 2. quaest. 3. art. 7. & quaest. 5. art. 1. Quæ fundatur in naturali appetitu, quem habet homo ad suam beatitudinem: vnde concludit beatitudinem esse possibilem, quia appetitus naturalis non est frustratus. Adicit vero hunc appetitum non posse satiari, nisi hac visione Dei, quia homo, viso effectu, cupit cognoscere

7. Scotus,

8.

9. Ratio Dini Thomæ D. Thom.

scere causam, & non quiescit agnoscendo illam esse nisi etiam cognoscat, quid sit, appetit ergo homo naturaliter scire, non solum an sit Deus, sed quid sit, non potest autem cognoscere, quid sit, nisi per hanc visionem, ergo sine hac visione nec beatificari, nec satiari potest, ergo si beatitudo hominis est possibilis, hac visio est possibilis.

10. Sed hic discursus D. Thom. est valde difficilis, quia ut latius dicemus in prima secunda, & constat etiam ex probatione D. Thom. ipse non loquitur de appetitu innato, seu pondere natura, sed de appetitu, & desiderio elicito. Hic autem appetitus non tantum est de re possibili, sed interdum etiam ad impossibilitatem fertur, ergo ex hoc appetitu non potest concludi possibilitas huius visionis. Nam si homini proponatur unio hypostatica, ut quoddam bonum excellens etiam poterit illam appetere naturali appetitu, unde non potest concludi naturali ratione illam visionem esse possibilem. Dicunt aliqui, illum appetitum beatitudinis esse naturalem, non solum ut distinguitur contra supernaturalem, sed etiam ut distinguitur contra liberum, quia est necessarius, saltem quoad specificationem, quia nemo potest odisse visionem Dei, vel non desiderare illam, si aliquem actum circa illam exercere velit, & non versetur in magno errore. Ex appetitu autem naturali hoc modo recte inferetur, esse possibile, quod appetitur, quia naturalis appetitus non est frustra. Atque in hunc modum dicit Aug. l. 4. contra Iulianum, c. 3. *Neque omnes homines naturali instinctu immortales, & beati esse vellemus, nisi esse possimus.*

11. Sed licet probabilis sit hac persuasio, & consentanea humanae conditioni, nihilominus non est convincens ratio. Nam multa sunt bona, quae sine errore cognita, non possunt odio haberi, & naturaliter possunt desiderari, non tamen efficaciter, & ideo ex illo appetitu probari non potest esse possibilis. Ut de vitione hypostatica paulo ante dicebam, & idem est de subtilitate, agibilitate, & claritate corporis gloriosi. Unde eo ipso, quod bonum propositum est superioris ordinis, licet non appareat malum, si possibile sit, tamen quia secundum rationem naturalem videri potest repugnare, ideo desiderium illius naturaliter non est efficax, sed per modum simplicis complacentiae. Ex qua non bene inferetur bonum illud esse possibile. Nec est inconueniens, quod talis affectus possit esse frustra, quo ad consecutionem effectus, quia non est perse datus a natura, sed ex generali affectu boni, quati per discursum, seu applicationem talis boni interdum nascitur. Accedit, quod non potest naturaliter constare, hominem esse capacem talis beatitudinis, quae faciet omnem voluntatem, & desideria eius, quia licet ratione naturali constet, hominem esse capacem alicuius beatitudinis, non tamen perfectae, sed *ut hominis*, (ut Aristotel. dixit) id est, modo imperfectae natura accommodata, sicut probari non potest, hominem esse capacem beatitudinis, quae reddat illum immortalem, aut impeccabilem, & similia, quas perfectiones potest homo naturali desiderio appetere, simplici, seu inefficaci affectu.

12. Quapropter existimo (quod etiam Caetan. fassus est) ex solis principijs naturae, illam rationem non esse efficacem, neque haecenus rationem aliquam inuentam esse, quae hoc sufficienter conuincat. Quapropter, suppositis his, quae de illa visione fides docet, existimo dicendum esse, non posse ratione naturali probari, illam visionem esse possibilem. Quia, ut infra ostendemus, illa visio est actus quoad substantiam supernaturalem, non potest autem ratione naturali cognosci, huiusmodi actus esse possibile. Praeterea intellectus ad illam visionem non concurrat virtute naturali, sed supernaturali, & instrumentali, non potest autem ratione naturali probari aliquam potentiam posse eleuari ad agendum ultra

sua virtutem. Item sunt aliqua difficultates in illa visione, quas infra videbimus, propter quas non potest solum lumen naturae satis cognoscere possibilitatem eius. Potest tamen homo naturali discursu difficultates & argumta, quae contra hanc veritatem sunt, sufficienter dissoluere, praesertim adiuuus lumine fidei, ut ex sequentibus constabit. Unde ex argumentorum solutione poterit colligi aliqua ratio congrua, quantum non omnino conuincat. Ut, quod Deo non omnino est extra latitudinem obiecti intellectus & quod intellectus noster habet capacitatem quandam vniuersalem. Item suppositis principijs fidei, recte probatur, non posse mentem nostram quiescere, neque esse contentam alia Dei cognitione, donec videat, quid sit, iuxta illud Psalm. 16. *Satiabor, cum aperuerit gloria tua.* Adde etiam hic potest ratio, partim ad hominem contra dictos haereticos, partim ex principijs fidei desumpta, quam Gregor. supra indicat, *Quia claritas (inquit) Dei non est aliud a substantia Dei.* Quam possumus in hunc modum vrgere. Quia si videndo claritatem illam non videmus substantiam Dei, & naturam eius, est ergo illa claritas res distincta a substantia Dei, ergo erit aliqua substantia creata, quia accidens perse separatum fingi non potest, quia est miraculum perpetuum sine fundamento, & sine fructu. Cur enim non erit illud accidens in aliqua substantia? Si autem claritas illa est substantia creata, vel affectio substantiae creatae, erit homo beatus videndo Angelum, vel seipsum illa claritate creata affectum. At fides docet, non posse hominem esse beatum, nisi in Deo ipso, ergo videndo ipsam claritatem increatam Dei est beatus, illa autem est ipsamet natura Dei.

Obiectiones ex Scriptura.

Contra veritatem hanc ex Scriptura tria tantum obijciuntur. Vnum est quod Deus saepe dicitur inuisibilis. Alterum est, quia Angeli sancti dicuntur desiderare conspiceri Deum. Tertium est illud Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam, & addit Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse narrabit.* Quali dicat, nemo nisi Vnigenitus, ergo neque Angeli, ut expresse docet Ambrosius libro 1. de Spiritu sancto cap. 1. & Cyrillus 1. in Ioann. cap. 22. & Chrysost. homil. 14. in Ioannem.

Hae vero facilem habent responsonem. Ad 1. iam dictum est, multa posse intelligi de inuisibili, visu corporeo. Aliquando etiam accipitur inuisibile pro incomprehensibili, ut statim dicemus. Saepè etiam est sermo de hominibus in hac mortali vita degentibus, iuxta illud Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet.* Ut notant Cyprian. lib. de Cardin. Christi oper. in principio, & August. epist. 112. cap. 7. & infra latius tractabitur, capite etiam sequent. aliam expositionem trademus, & vnaquaeque est accommodanda iuxta locorum exigentiam. Ad 2. respondet Gregor. 18. Moral. cap. 39. desiderium illud Angelorum non esse de re non habita, sed positum esse ad explicandum, quanto affectu, & voluntate, sine villo fastidio videant Deum. Nam, quod illud non possit esse desiderium, recte probat Gregor. quia affligeret Angelos, unde non possent esse beati. Idem fere Isidor. lib. 1. sent. in 22. & Beda lib. variarum quaestion. qu. 9. in tom. 8. Et declaratur, nam si Angeli tenentur desiderio videndi Deum, vel desiderant, quod habere non possunt, vel nunquam sunt habituri, & sic miseri sunt, vel desiderant, quod aliquando habebunt, & sic iam supponitur non esse illis impossibile videre Deum, & contra fidem, & rationem negatur, eos iam videre. Unde ad 3. qui intelligunt, Angelos in illa exclusiva comprehendi, necesse est, dicant sermonem esse de comprehensiuua notitia, ut mox dicemus. Sen-

STARE
IN
DOM
DIE
CONTE
D.V.

fus autem literalis est, tantum ibi esse sermonem de hominibus, imo est probabile, solum de viatoribus esse sermonem. Nam particula *Nemo* in rigore non plus requirit. Item ad narrandam veritatem visam non erat necessaria comprehensio. Item verisimile est ibi, Ioannem excipere vniuersum, etiam vt hominē quia vt sic nobis locutus est, vnde c. 6. de illo ait, *hic vidit Patrem*, & tamen nec ipse vt homo comprehendit Deum. Tandem ad intentionem Ioannis satis erat excludere omnes homines, qui Christum præcesserant, vt ostenderet, illum singulari ratione potuisse esse auctorem veritatis, vnde tandem Aug. ita exponit epist. 112. c. 4. & alij multi, quos in eo loco referunt Tol. & Mald.

Ioan. 6.

Obiectiones ex Patribus.

15.

Secundo, præcipue obijciuntur varia Patrum testimonia. Ex Græcis loquitur obscure Athanas. Orat. in illud: *Omnia mihi iradita sunt à Patre meo*: negat enim, Cherubin, aut Seraphin intueri diuinam maiestatem. Sed obscurior est Chrysof. multis in locis, hom. 14. in Ioann. *Id, quod est Deus non modo Prophetæ non videntur, sed neque Angeli, neq. Archangeli. & infra. Solum vident Filium, & Spiritus sanctus. Quod si omnis creatura creata est, quam ratione increatum videre poterit. Et auget difficultatem, quod ibidem subdit: Angelos vidisse Deum in assumpta creatura, ex quo factus est homo, nam antea non videbant.* Vide etiam homil. 13. & in homilij de incomprehensibili Dei natura. In eadem sententia est Theodoret. in dialogo *Immutabilis*. Vbi de Angelis exponit illa verba Ioann. 6. *Patrem non vidit ququam nisi is, qui est à Deo*, & illa Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam.* Ac tandem concludit, *Non aliter Angelos videre Deum, quam videbant Prophetæ.* Qui tamen non viderunt diuinam naturam, sed quandam representationem, quæ eorum facultati conueniebat: sic ergo Angeli (vt sentit) non vident diuinam substantiam, sed quandam gloriam, quæ eorum viribus respondeat, sitque eis accommodata. Atque sic fere loquuntur Theophylactus, & Euthym. in Ioann. 1. Gregor. Nyssen. libro de Beatitudinibus circa illud: *Quoniam ipsi Deum videbunt*, Cyrillus Ierosolym. catech. cheli sexta, & alij, cum disputant contra Anomæos.

Ioann. 6.
Ioann. 1.

16.

Ex Latinis vero Hieronymus Isa. 1. *Nunc (inquit) videmus per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus, licet faciem Dei iuxta naturæ suæ proprietatem nulla videat creatura, & tunc cernatur mente, quando inuisibilis creditur.* Similia habet epistola 15. tom. 9. Cyprian. l. de Idolor. vanit. vbi sic de Deo loquitur. *Nec videri potest, visu clarior est, nec comprehendit, tactu purior est, neq. estimari, sensu maior est, ideo sic tunc digne estimamus, cum inestimabilem dicimus.* His addi possunt Ambrosius & alij supra citati.

17.
Responsum

Ad hæc prima responsio esse potest, illos loqui de visione per oculos corporis. Quod quidem recte dicitur de Cypriano, non vero de alijs, præsertim de Chrysofomo. Tum quia loquitur de Angelis, quos etiam incorporeos vocat, quia non fundat suam sententiam in speciali corporis impedimento, sed in communi ratione creaturæ. Denique ipsemet rejicit hanc expositionem in hom. 4. de incomprehensibili Dei natura, & explicat, se loqui de intellectuuali visione. Alia expositio esse potest, vt hi sancti loquantur per naturæ creatæ vires, iuxta ea, quæ capite sequenti dicenda sunt, & fortasse aliqui locuti sunt in hoc sensu. Sed non potest omnibus accommodari, quia loquuntur de facto, prout nunc Angeli vident Deum, quibuscumque viribus videant. Et ideo D. Thomas 1. part. qu. 12. artic. 1. dicit, hos sanctos loqui de visione comprehensiuâ, & sine dubio Augustinus ita exposuit similia fere verba: Ambrosius epistola 112. vbi in fine cap. 7. subiungit hæc verba. *Non quia*

Dei plenitudinem quicquam, non solum oculis corporeis, sed vel ipsa mente aliquando comprehendit. Et hac occasione subdit statim cap. 8. *Aliud est enim videre, aliud totum videndo comprehendere, &c.* Sic etiam dixit lib. 4. Gen. ad liter. capit. 8. *Licet haberemus corda mundissima, etiam si essemus Angeli aequales, non esset nobis nota diuina substantia, sicut ipsa sibi, eadem ergo expositio ad alios Patres applicanda est.*

18.

At verò Chrysofomus obscurus, & difficilior loquitur. Propter quod aliqui moderni nullam volunt admittere expositionem, sed omnino laborant, vt conuincant, Chrysofomum in errore contrario fuisse. Imo idem sentiunt de omnibus Patribus allegatis, & de alijs, quos ipsi referunt. Non est tamen verisimile tam apertum errorem, & scripturis manifestè contrarium communi consensu tantorum Patrum receptum fuisse: fuisse enim intolerabilis lapsus, nec in eis inueniuntur verba, quæ dictam piam expositionem non admittant. Et in Chryf. etiam magnū fundamentum habet, quia sæpe adiungit aliqua verba, quæ hoc significant, vt v. g. hom. 4. de Incompreh. Dei nat. dicit, *non posse creaturam exquisita ratione Deum cognoscere, cognitione expressa & integra*, & homil. 4. in Ioan. cum dixisset: *Neminem videre Patrem, nisi Filium*, addit, *Qui certâ ratione visumque & comprehensionem habet.* Et similia facile ponderari possunt in cæteris locis. Quare, cum inquit, Angelos cœpisse videre Deum in assumpta natura, similiter, exponendus est, quia eam naturam comprehendere possunt, non vero diuinam. Et sic possunt alia sententiæ illius exponi. Estq. considerandum, disputare Chrysofomū contra Anomæos, esseq. morem Patrum, cum impugnant hæreticos, ita loqui, vt videantur in contrarium omnino extremum declinare, & ideo facilius esse, eos intelligere, iuxta exigentiam erroris, quem impugnant.

Obiectio ex ratione.

19.

Tertio obijci solent varia rationes ab inconuenientibus, scilicet quia sequitur, Deum, cum simplicissim⁹ sit, comprehendi à videntibus ipsum. Quæ ratio maxime videtur mouisse Anomæos, vt dicerent, nos posse comprehendere Deum, vt sumitur ex Nazianz. Orat. 42. & Chryf. hom. 5. contra illos. Sed eius solutio pendet ex multis dicendis de visione beatifica, & ideo pro nunc illam differemus. Obijciunt præterea, visionem illam, cum sit actus vitalis, debere elici naturali virtute potentia vitalis. Vnde vltierius sequitur, esse in nobis ad illud obiectum, & actum naturalem appetitum, sed hæc etiam in seq. tractanda sunt. Nunc solum vna ratio obijciuntur, quia Deus clare visus non continetur sub obiecto intellectus humani, ergo non potest eleuari ad videndum ipsum. Antecedens probatur primo, ex improportione, quia Deus est infinitus, intellectus vero finitus. Secundo, quia alias naturaliter posset intellectus attingere illud obiectum, quia naturale est vnicuique potentia operari circa obiectum suum. Prima vero consequentia probatur ex dictis sup. ca. quod potentia non potest eleuari extra suum obiectum, quia cum illo adæquatè conuertitur.

20.
Dissolutio.

Respondetur, Deum absolutè loquendo contineri sub obiecto adæquato intellectus, quod est ens, in quantum est, cum vero additur, *Deus clarè visus*, ex parte Dei nihil additur, quod non sit comprehensum sub ratione entis, sed cum obiecto ipso inuoluitur actus noster, quo tale obiectum videtur. Et hoc modo dicendum est, illud obiectum, vel potius illum actum non comprehendit sub latitudine actuum naturalium intellectus, inde tamen non fit, intellectum nostrum non posse eleuari ad illum actum, vel ad obiectum cognitum per talem actum, quia ad hoc factus est, vt in illo obiecto

